DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO

# QVÆSTIO MEDICA

## CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. APRILIS,

## M. PETRO DE MERCENNE, Doctore Medico, Moderatore.

*Eſtne Cor ſanguinis & animi Perturbationum origo?* 1120

NATIVVS calor omnium animantis alterationum & motionum primus perpetuuſque opifex, præcipuas & ad vitam cùm generandam, tùm ſuſtinendam ac tuendam omnino neceſſarias, in ea corporis parte maximè præſtat, in
qua vberiorem ſpiritus inſiti copiam vimque efficaciorem natura collegit. Hinc in vno eodemque loco fons vitæ & nutritionis, ſimulque inſitum motus ſanguinis principium exoritur. Atque in hac principe ſede ſanguis potiſſimùm
confici debet, quæ chylum è ventre ſursùm appellentem in vitalem ſuccum perfectiùs excoquit ac commutat: & quæ hunc jam prorſus nutritioni accommodatum in ſingulas partes quoquoverſum manifeſtâ impulſione diſtribuit. Statim
atque ſemen in animal delibatum hæſit in vitam, ſanguine nihil prius continetur in corpore, & ex ipſo, veluti limo in aquâ conſiſtente, Cor & Iecur primùm coagulata fuere, vt ejuſdem conſervandi ac continendi gratiâ viſcera vaſa-
que omnia natura fabricata eſt. Soli tamen nutritioni non deſtinatur; nec tantummodò coagmentandi corporis, augendique, & ad extremum uſque ſpiritum nutriendi propinquiſſima ac benigniſſima materia: ſed etiam ingeneratum ac
præcipuum omnium animæ functionum inſtrumentum eſt. Quâ ratione in hydraulicis machinis una eademque aqua per tubos figurâ, ſitu, poriſque diſſimiles excurrens, innumeras animantium motiones (vt inceſſus, natationes &
cantus) ad naturæ exemplar ſubtiliter exprimit. Simplex non eſt gratioſi iſtius humoris ſubſtantia, neque, ut aqua, unius-modi & ſui prorſus ſimilis; ſed ex alienigenis partibus conſtat, ex quibus detractum ſerum ſuppoſito igne ſtatim
glutinis inſtar craſſeſcit. Calet naturâ ſuâ ſanguis, liquiduſque ſemper eſt, non occultâ venarum proprietate, ſed ſecretâ ac ſenſum fugiente caloris innati motione, cujus etiam in cadavere aliquandiu ſuperſtites manent reliquiæ; perpar-
væ etenim tenues & valdè volubiles ſpiritus ætherei particulæ terrenas fibroſaſque inter ſe hærentes & pigras, aſſiduè in nobis exagitant, loco dimovent, ac fluidas reddunt; cum verò illæ evolant, & exhalant, aliæ craſſiores tunc immo-
tæ, ideò ſtatim coeunt, ac concreſcunt. Vnâ eâdemque nativi caloris actione generatur tum congenitus, tum poſtgenitus ſanguis; unde in ovo per triduum à gallina incubato, candida quædam & veluti criſtallina ſeminis guttula, abſ-
que ullius rubri corporis contactu, ſtatim purpuraſcit & in ſanguinem convertitur; quin etiam in edito animante, recens chylus primo ſanguini permixtus ſimilem colorem & formam acquirit, non ab ebibito infectoris cujuſpiam viſceris, veluti
conchylij, colore, ſed coctionis & naturalis fermentationis virtute. Sic in candido, viridi aut cæruleo quorumdam piſcium, vt Lampetræ, jecore, ſanguis nihilominus rubet; vinum quoque terræ ſanguis, ſicut & mororum aut granato-
rum ſanguineus ſuccus non ab vuarum, vel carnoſæ fructus partis colore: ſed à maturante ac fermentante calore ruborem contrahit.

HOMINEM ex homine tollit qui perturbationes omnes ex animo radicitus evellere putat; non enim ex ſilice nati ſumus, nec cor ſapientis ferreum eſt. Vt aër diu ſalubris eſſe non poteſt, nullâ ne minimâ quidem aurâ perflante: ſic
perturbationum veluti ceſſante vento, ratio hebetior & ocioſior fieret, atque inſiti in nobis ad virtutem igniculi nimium langueſcerent. Hinc maxima ingenia ad ſtudia & laborem accendit flagrans cupiditas veri; modicis enim affecti-
bus, quaſi ſtimulis & fomentis, ad præclaras actiones animus commovetur. In motuum iſtorum moderatione ac temperie mentis & corporis ſanitas conſiſtit: ut impetus immodicus & redundans nec rationi obtemperans graviſſimas
vtrique ægritudines creat, imò interdum repente interimit. Omnis perturbatio ex opinione boni vel mali, præſentis aut futuri ſanguinem, præter ſolitum & pacatum curſum inſigni quodam motu exagitat, quo calor nativus tum intro
tum foràs defertur, ſimulque ſanguis & ſpiritus modò ad partes intimas & ad ſuam ſcaturiginem refluit, quò fit ut ſimilis ſanguini color tunc in cute non effloreſcat, modò ad extima corporis proſilit ac diffunditur. Hinc metuunt
cupiuntque, dolent, gaudentque, prout mirificus iſte humor res noxias, jucundaſve, quarũ tamen nullum habet ſenſum, fugit vel proſequitur, ſpirituũ è cerebro vi phantaſiæ impulſorũ agitante veluti flatu, ultrò citroque facillimè mobilis. Optas,
qui feliciter natus es, valetudinem ſemper incolumem ad extremum ſenium ſeruare? Sanguinis puritati, ac mediocri copiæ: ſimulque animi tranquillitati (quæ ejuſdem vehementiores motus frænat atque ſerenat) ſervandæ perpetuò ſtude. Sin-
cerum generant alimenta boni ſucci, victuſque tenuis, & ſine arte menſa, prætereaque voluptatis, omnium malorum eſcæ, contemptus. Praua edulia coctu difficilia, variaque, vt porcus Trojanus, & indagines cupediarum per improbam
ſatietatis laſciviam conquiſitæ, vitioſum ſanguinem cumulant; maximè ſi libidinis intemperantia, aut cœli ſolique inſalubritas acceſſerit.

COR ſapientiſſimi artificis opus prima eſt animæ ſedes, munitiſſimaque arx vitæ, in quâ ingens naturæ theſaurus reconditur, innatus ſcilicet ignis, animantium author & cuſtos; cujus dominatu regium illud viſcus membrorum omnium
calidiſſimum conſtituitur; ita ut immiſſum intus digitum penè exurat. Quidquid habent ſpiritus & caloris cæteræ partes, è vivifici hujus fontis perenni influxu hauriunt, quo ſi vel momento careant ventriculus & jecur, omnis ſimul
in ijs chylum & ſanguinem concoquendi virtus perit. Sanguis in cordis ſinubus nativo calore dilatatus & concepto ſpiritu majorem locum occupans pulſum facit, unde anguſtiarum impatiens è corde emiſſus eidemque viciſſim redditus alternos
habet recurſus ex arterijs in venas, per quas rivuli in morem, redit ad cor è pulmonibus, cerebro, ventre inferiore, extremis artuum apicibus, totoque carnium ambitu. Hoc mirabili & perpetuo circuitu, quem valvularum ſitus & vaſorum
vincula demonſtrant, ſanguis & puriſſimus perfectiſſimuſque evadit, & neceſſario impulſu velut ſiphonibus injectus, nutriendis partibus agglutinatur, & ſimul à ſummæ redundantiæ, extinctioniſque, aut putredinis ac concretionis periculo
vindicatur, in quod ignavo ſitu torpens, immotuſque brevi incideret. Proxima ſanguinis materia chylus è ventre ad thoracem promanat, mediâ fermè & meliore ſui parte, ſcilicet cui propter tenuitatem & puritatem aſcenſus facilior.
Lacteæ meſenterij venæ candido iſto ſucco turgidæ ad receptaculum quoddam ſimul omnes coëunt, quod in homine lumborum vertebris innititur, conſtatque pluribus ſparſim glandoſis corporibus, proſtatas & veſiculas ſemen aſſervantes
æmulantibus: in brutis verò ex pellucidiſſima ac tenuiſſima membranula, cyprini veſiculæ inſtar, oblongo ſitu inter muſculos pſoas collocata conflatur; ex quo quidem receptaculo prope diaphragma, venulæ duæ (interdum unica prodit)
Aorræ trunco affixæ ac per medium ſpinæ latus decurrentes, ſurſum in vnum canalem corrivant, qui in ſubclaviam vel axillarem ſiniſtram inſeritur: (in quibuſdam tamen illæ hinc & inde porrectæ etiam in dextram deſinunt; unde per
tria quatuorve oſtiola guttatim in ſubclaviam ſtillans chylus ibi plurimo ſanguini ad venæ cavæ ſuperioris truncum remigranti permiſceri incipit; quo tunc abſorptus, ideóque ſimili tinctus rubore, ſtatim ad cor illabitur; ut humida cibi
potuſque materia, quâ totus adhuc diluitur, velut aquæ affuſione ſanguinis æſtum in ipſo foco temperet, illiuſque nimiam efferveſcentiam, cordis motum interturbantem, arceat atque impediat. Hinc nullius non ira, luctuſque, triſtitia,
& omnis ardor animi, quo univerſum corpus concaleſcit, cibo mollitur. Quid adhuc te ſuſpenſum tenet dubia experientiæ fides? Lubet candidum & lacteum chylum in corde oculis cernere? Inciſas ſubclavias & cavam ſanguine prorſus
ſpongiâ exhauri, ac bene paſti animalis abdomen diſtentumque chylo receptaculum tunc manu comprime; hinc chylum è dextro cordis ventriculo, ſalientis aquæ inſtar magnâ copiâ effundi tam manifeſtò comperies, vt cochleari
excipi, guſtuque internoſci facilè poſſit.

ANTIQVO ſanguinis conficiendi munere jecur abdicari non poteſt, nec propter lacteas thoracicas, nec propter Lymphatica vaſa, ullave recentiorum inventa; fixa enim & immutabilis natura eſt, ut pote æternæ legi addicta. Agit illa ſæpe miris
& occultis modis, qui licet nobis ignoti, non ideo nulli ſunt. Plures tamen vias chylo ad hepar deriuando hæc rerum Domina patefecit; primùm quidem in ventriculo, inquo chyli citiùs elaborati diſtributio incipit per venas ſanguinem ad portam
referentes, vt ex iſto cibi potuſque promptuario Lien, adulterinum hepar, aqueam chyli portionem per vas breve excipit & in ſanguinem dilutæ fæci ſimilem, ſeu melancholicum, ſubigit. Perſeverat deinde in inteſtinis, ſed bipartitò, chyli ana-
doſis: tenuior adhuc candidus lacteas perreptat: craſſior meſentericas venas ſubit, in ijſque, velut in ſubclavijs, ſtatim rubet permixtus ſanguini ex ſocijs arterijs refluo, unde ſimul in jecur aſportatus, ibi ſecreto rejectoque bilis purga-
mento, non tranſcolatur ſolùm, ſed etiam alteratur peculiari modo & in ſanguinẽ vertitur non omni ex parte elaboratum, qui demum per cavã ad cor, venarum & arteriarum principium, revolutus ac multoties recoctus, tandem in hoc principe
omnium viſcere ſummam ultimamque perfectionem invenit. Hinc magnum conficiendi ſanguinis opus repente non fit vnâque aggreſſione, neque ab uno naturali inſtrumento totam ſuam expolitionem acquirit. Hanc apparant multùmque pro-
movent Hepar & Lien: venæ & arteriæ juvant: cor abſoluit; ſeu potius idem nativus calor velut arte quadam ignem moderante modò auctior, modò remiſſior, in varijs hiſce organis ac vaſis ad unum finem conſtructis & ſibi invicem aptatis,
varios concoctionis ac perfectionis gradus ſanguini ſubinde imprimit. Sic plantarum ſuccus non in ſingulari quadam parte, ſed in radice, trunco, ramis & fructu: ut vinum non in ſolis uvis, ſed in integra vite generatur. Præter perennem
ac reciprocum in vaſis fluxum & refluxum, cujus ope ad communem conficiendi ſanguinis uſum conſpirant omnia viſcera, tum ſupra, tum infra diaphragma, alius in ſanguine motus obſervatur, non perpetuus quidem, ſed procellis quie-
tum amnem impellentibus ſimilis, quo perturbationes, à quibus patitur anima, in corpore concitantur & aliquandiu foventur. Hic à ſolo corde principium ducit, quod niſi ſe ſe contrahat aut dilatet, ſanguis odio, mœrore ac metu, ad
corporis centrum revocari: aut amore, lætitiâ, ac deſiderio, ad ſuperficiem erumpere nullo alio natuali impulſu poteſt: ut eamobrem omnis animi commotio cordis & arteriarum pulſum neceſſariò immutet.

COR principium magnum ac finis ultimus naturæ animantis, prima animæ & ſanguini domicilia præbet, propriâ intrà ſe cavitate ac ſinuoſo ſpecu, cum cætera omnia membra hunc in venarum & arteriarum tubulis contineant.
In prima generatione ſtatim ſanguineum eſt, & velut rubrum quoddam punctum micat pulſatque, ante ulla jecoris, venæ umbilicalis, reliquarumque corporis partium vel minima rudimenta; ut quæ per totum vitæ curriculum non ceſ-
ſat hæmatoſis, nihil aliud quàm primigenij iſtius ſanguinis multiplicatio ac continuata propagatio ſit. E mobiliſſima illa particula excurrens genitalis hic humor, formatore ſpiritu omninò perfuſus, ſua vaſa primum excavat, deinde mem-
brorum omnium ordinem deſcribit, & quæcumque ad abſolvendum animal pertinent, ſolertiſſimo artificio diſponit; nec movetur tantummodò, ſed etiam ſentit in ijs vitæ primordijs palpitans cordis punctum, quod ſi tunc ſtilo leviſſimè
ferias, vel frigidum quid admoveas, ſtatim ſe contrahet; ut nondum nato jecore, cor jam quaſi alterum ſit animal, in quo ſanguinis impetus ad ſervandam vitam ac pericula propulſanda à natura datus neceſſariò r·ſi·let. Hinc non in diſclu-
ſis ſedibus, ſed in eâdem parte concupiſcit anima & iraſcitur. Mœrore, odio, aut fugâ rei noxiæ, non ad hepar refugit ſanguis: ut lætitiâ, amore, ac deſiderio, ab eodem non diffunditur: ſed omnes iſtos, velut iræ ac timoris, motus è cor-
de ac pectore oriri, ad illudque deſinere, cuivis in ſe experimentum eſt.

*Eſt igitur Cor ſanguinis & animi Perturbationum origo.*




Aſſerebat Lutetiæ FRANCISCVS SORAND, Vnellus Belleſmius,
& Scholarum Archidiaconus, A. R. S. H. M. DC. LXI.